

Fr. Grunacker Georg Gabriel Supen

Dissertatio Logica ...


6 : Dissertatio Logica Sexta, Materiam Probabilem Et Sophisticam Exhibens

Berolini: Schelechtiger, 1718


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn815359152>

Band (Druck) Freier  Zugang





Ec-1054.



DISSERTATIO LOGICA
SEXTA,
MATERIAM
PROBABILEM ET SO-
PHISTICAM

Exhibens,

QUAM

PRÆSIDE

M. FR. GRUNACKERO,
CON-RECT. GYMN. FRID.

DEFENDET

D. 18. Jun. 1718.

GEORG. GABR. SUPEN,
Spandov. March.

IN MUSÆO DN. PRÆSIDIS.

BEROLINI,

Imprimebat GOTTHARD SCHELECHTIGER, Reg. ejusdemque
Societ. Scient. Typogr.



PARTIS
SPECIALIS LOGICÆ
LIB. II.
DE MATERIA PROBABILI
ET INDE DEDUCTO
SYLLOGISMO PROBABILI
SIVE DIALECTICO.

CAP. I.
De SYLLOGISMO DIALECTICO.
IN GENERE.

- I. SYLLOGISMUS Dialecticus * est, qui ex principiis probabilibus concludit ad opinionem gignendam.
II. Probabilia * sunt quæ vera videntur (1) vel omnibus, e. g. Matrem diligere liberos. In Sole non esse homines. (2) Vel pluribus e. g. Melius est Rempublicam regi

Resp.
Georg. Gab.
Supen.
Opp.
Joh. Fried.
Schefferus.
Ph. Aug.
Martini.

A 2

mo-

* Dialectica est a gr. διαλέγειν, differere, colloqui, disputare. Hinc loci dialectici sunt, qui materiam continent, de qua disputatio, colloqui um institui potest, & Syllogismus dialecticus à Stahlio dicitur disputatorius Syllogismus. Sumitur autem Dialectica vel ὁλικῶς pro tota Logica, vel μερικῶς pro ejus parte sc. pro Doctrina topica, quæ tractat locos nominales & reales, ut ex illis contingenter argumentemur.

* Probabilia Gr. dicuntur ἔνδοξα, diff. runt (1) a veris sc. quæ in Demonstratione attenduntur, nec aliter se habere possunt, probabilia autem & vera & falsa esse possunt, nam non tantopere suis opinionibus homines à vero aberrant, quin fæpissimè veris assentiantur. (2) A παραδόξοις, quæ sunt præter & contra opiniones hominum, sive illa sint vera, sive falsa. Unde Luc. 5. 26. populus ait de

monarchice, quam democratice. (3) Vel Sapientibus, & his vel omnibus, e. g. Pona animi præstare bonis corporis. (4) Vel pluribus, e. g. Felicitatem non consistere in corporis voluptate. (5) Vel spectatissimis, e. g. Summum Bonum consistere in operatione secundum virtutem optimam & perfectissimam in vita perfecta.

III. Quia principia probabilia multifaria sunt, sapientes certas cellulas invenerunt, ad quas revocant illa principia, & Locos dialecticos vocant. Qui sunt vel Nominales vel Reales.

IV. Nominales Loci sunt, qui exhibent principia à nominibus petita. Quo pertinet Locus ab usu vocum, ab Etymologia, &c. Reales sunt, qui exhibent principia ab ipsis rebus desumpta. Quo refertur Locus à causa & effectu. A Subjecto & Adjuncto, &c.

CANONES.

I. Syllogismus e Scriptura canonica desumptus, non est probabilis. Scriptura enim canonica est a Spiritu S. inspirata, ergo non est principium probabile, sed omni exceptione majus, *αὐτόπιστον* & *ἀξίόπιστον*, cui ad unum omnes assentiri tenentur; hinc firmissime aliquam conclusionem probat.

II. Uno actu opinio * gigni potest. h. e. Ex una etiam ratione infirma opinio nascitur, licet firma opinio plures requi-

miraculo Christi, qui vere paralytico peccata remiserat, eumque sanaverat, vidimus hodie *παράδοξα*, Luth. seltsame Dinge. De quo autem probabiliter disputatur non debet esse abhorrens & dissentiens a communi hominum opinione, aut repugnare sensui vel experientiæ e. g. Si quis vellet disputare, cælum esse quadratum, aves ordinarie natate in aquis. Talia *παράδοξα* non sunt probabilia ullo modo, sed absurda.

* Effectus Syllogismi dialectici est opinio, quam Conimbr. in 26. p. 689. definiunt,

requirat rationes. Nam una ratio probabilis sufficiens est, ut intellectum inclinet ad aliqualem assensum, vel ut homo hoc vel illud sibi imaginetur,

CAP. II.

DE USU VOCUM.

LOCUS * ab usu vocum comprehendit talia argumenta, quæ ad genuinum terminorum usum applicantur.

CANONES.

I. Cui non convenit nomen, ei nec res ipsa attribui debet. e. g. Gentilibus nondum conversis non competit nomen Christianorum, E. etiam non fides in Christum ipsis attribuenda est *

A 3

II. Ubi

quod sit habitus inclinans ad assentiendum alicui rei, vel ex terminis, vel ob rationem probabilem (putat Scheibl. adjiendum esse, vel ob auctoritatem dicentis,) cum formidine partis oppositæ. Secundum Scheiblerum autem fides (sc. humana) continetur sub opinione, quæ (fides sc.) nititur auctoritate dicentis, & differt à suspitione, quæ oritur ex aliquo iudicio vel conjectura, qua intellectus veluti suspensus formidolose assentitur alicui objecto.

* Locus ab usu vocum est primus locus nominalis, & docet (1) quod nemini licitum sit aliquam rem ex suo arbitrio nominare, sed usu communi recepta & approbata vocabula quilibet adhibere debet. (2) Ut quis sibi caveat, ne immutet receptos terminos & novos ac peregrinos introducat, alias cuius barbarus fiet. (3) Quod nominum vis magna sit in docendo & disputando, omnis cognitio nostra procedat & dependeat à præcognitione vocum, juxta hos versus:

Symbolon est verbum, penetravit ad res,

Nemo, nisi referat vox bene nota fores,

Sæpe sub unius minimo velamine vocis

Divinæ sophiæ pondera magna latent.

* Limitandus (1) est Canon, cui nullo modo, de jure, nec ἐν τῶς nec per Synonymum nomen competit illi &c. E. licet Israëlita in V. T. non habuerint nomen Christianorum vid. Act. XI. v. 26. tamen fideles & Messiani dicti sunt, quæ sunt Synonyma vocis Christianorum. (2) Usus regulæ & contra Pontificios; Papæ non competit nomen Imperatoris E. nec res ipsa imperium. (3) Valet Canon

II. Ubi deficiunt vocabula, ibi non statim negatur res ipsa. Plures enim dantur res, quam voces. E, non sequitur: In Scriptura non reperitur vox Trinitas, quare etiam non dantur tres SS. Trinitatis personæ quæ eandem numero habent essentiam. *

III. Termini accipiendi sunt, non ut libet, sed ut usu licet, & mens auctoris requirit. *

CAP. III.

DE ETYMOLOGIA CONJUGATIS ET METALEPSI.

I. LOCUS ab Etymologia * est cum argumenta ex origine & notatione nominis ducuntur.

II. Lo-

etiam affirmative. Cui competit nomen, illi etiam competit significatio nominis, h. e. Cui vere, proprie & de jure, imo etiam ex impositione Dei & non temeraria hominum nomen competit, illi &c. E. Dum Deus voluit Messiam natum vocari Jesum, vere etiam ipsi competit quod salvaverit populum suum. Alias interdum improprie & de facto ac honorifice alicui nomen assignatur, sine ipsa significatione. Quorsum pertinet illud: Dicuntur, sed non sunt.

* Quo pertinet regula: Multa in Scriptura dicuntur, quæ tamen non sunt (vera scilicet mendacia, sic Judæi ad Christum dicebant, Tu habes Diabolum, &c.) Multa & sunt & dicuntur (h. e. ubi verba & res adsunt.) Multa sunt, quæ tamen non dicuntur, (e. g. Pædo-baptismus, Processio Spiritus S. à Filio, Virginitas Mariæ perpetua, &c.) Sufficit quod extent in ea quoad sensum, & per rationes idoneas ex ea deducantur.

* Verba enim valent usu sicut nummi. (1) Quare *πορνή* etiam si cauponariam denotet, usu tamen jam est meretrix. Tyrannus non amplius Principem, cujus summa potestas est in Republica, sed crudelem & injustum Dominum notat. Latio non militem amplius, sed præditorem significat. (2) Quilibet optimus verborum suorum interpret, quare non aliter verba quis intelligere debet, quam prout mens dicentis requirit, vel ipsemet explicat.

* Locus ab Etymologia est secundus locus nominalis, de quo observandum (1) licet argumenta ab originatione & conjugatis imo & a Metalepsi petita infirma & insufficientia sint ad probandum, nisi res ipsa constet, tamen penitus rejicienda

II. Locus a Conjugatis * est fedes argumentorum, quæ a vocibus cognatis & affinis desumuntur.

III. Locus a Metalepsi * est cum argumenta ex transmutatione nominum habentur.

CANONES.

I. Ab Etymologia * rei adæquata v. c. affirmative & negative. e. g. Non is prædicit futura, E. Sequitur quod non sit Propheta. Hic me supplantavit, E. sequitur quod iuste dictus sit Jacob. Gen. 27, 36.

II. Quod uni conjugatorum * convenit vel non convenit

non sunt, illustrant enim & aliquantulum rem interpretantur. (2) Per Etymologiam non intelligimus hic (α) Allusionem, ut frater quasi fere alter, non (β) ridiculam, ut Presbyter est præ aliis bibens ter, non (γ) peregrinam, ut Sabbathum a σαββαζειν convivari, ac si illo die convivia sint celebranda, est enim a Πρω quievit Gen. 2, 3, sed (δ) veram & Logicam, qualis est cum homo derivatur ab humo, & Testamentum a testatione mentis.

* Locus a Conjugatis est tertius locus nominalis, de quo retinemus, quod Græce conjugata dicantur σύντομα & σύντομα, quia sub uno quasi iugo sunt, h. e. communem aut cognatam significationem habent. Sunt enim nomina derivata, quæ ab eodem principio & radice oriuntur. e. g. iuste, justus a justitia descendit, temperanter, temperans a temperantia. Dantur conjugata in rebus prædicamentibus non tantum, sed etiam in mysticis & transcendentalibus vid. Saur. p. 49.

* Metalepsis notat transmutationem nominum, cum nomen obscurum per æquipollens clarius explicatur, vel tota phrasis ita dilucidatur per aliam notiosem, ut in sensu plane conveniat. Sic de torrente in via bibere, Pl. CX. 7, notat mortem & omnis generis atrocissimas calamitates sustinere.

* Alias iste Canon ita effertur: Cui competit notatio aut derivatio nominis, illi & nomen ipsum competit. Requiritur autem ut notatio fiat adæquata, qualis est Doctrina de Deo, vel Theologia. Amicus Sapientiae, i. e. Philosophus. Si autem fuerit latior vel angustior N. V. e. g. animal quidem dicitur ab anima & proccedit consequentia affirmative: Est animal E. haber animam. Sed non negative: Non est animal, E. non habet animam. Quia latior est notatio, plantæ enim etiam sunt animatæ.

* Intelligimus in Canone talia prædicata, quæ conjugatis per se & essentialiter, non per accidens comperunt. Quare N. V. C. Hospes claudicat, E. & hospitium. Theologus fallit, E. & Theologia.

venit. e. g. Religiosi non contemnantur, E. nec Religio. Baptizare notat in aquam immergere & aqua aspergere, E. etiam Baptismus notat immersionem in aquam & asperionem aquæ.

III. In verbis simus faciles, modo in rebus conveniamus. E. five vetula adhibeatur five anus, five Angelus, five genius cœlestis, five venenum five toxicum, five pharmacum, five medicamentum, res eadem recidit. Cavendum tantum est ne in vocum commutatione sensus mutetur. Quare malefecit Arius qui pro voce ὁμοῦσιος substituit ὁμοιῶσιος, non enim hæ voces idem significant.

CAP. IV.

DE DEFINITIONE ET DEFINITO.

LOCUS a definitione * & definito est sedes argumentorum, quæ a definitione desumuntur & definito.

CANONES,

- I. Cui tribuitur Definitio * eidem tribuitur definitum.
e. g. Christo tribuitur definitio veri hominis, E. etiam verus homo est.
- II. Cui non tribuitur Definitio, eidem nec definitum tribui-

* Vidimus quatuor locos nominales, sequuntur jam loci reales, qui argumenta realia & firmiora ostendunt, vel quæ ex natura ipsarum rerum petuntur. Secuti hic sumus Scharfium & Aristotelem qui hunc locum a definitione primo loco ponunt inter locos dialecticos reales, licet Bart. Viottus lib de Demonst. p. 171. noluerit inter locos Dialecticos eum numerare, quia demonstrandi medium est.

* Agit Canon de Definitione vera proprie sic dicta & adæquata, non autem de falsa, inadæquata & aliquali saltem Descriptione. E, N. V. Hoc est animal bipes

tribuitur. e.g. Angeli non sunt substantiæ compositæ ex materia & forma, E. etiam non sunt corpora.

III. Cui competit vel non competit definitum, illi etiam competit vel non competit definitio, e.g. Huic non competit fortitudo, E. etiam ipsi non attribuitur quod mediocritatem observet in subeundis periculis. Bene autem huic adscribitur quod sit Theologus, E. etiam de Deo & rebus divinis secundum ductum Scripturæ differere potest.

CAP. V.

DE CAUSA ET EFFECTU.

- I. LOCUS a causa * est, qui continet argumenta, quæ a causis, sive internis sive externis desumuntur.
- II. Locus ab effectu * est, quæ tradit argumenta ex ejusmodi principiis, quæ ex effectu deducuntur.

CANONES

- I. Causa * prior est effectu. Quandoque tempore, sic au-
B rifa-

implume (ut Plato dixit) E. est homo. Libri Maccabæorum sunt Libri Canonici, quia sunt Libri qui præsentis Ecclesiæ testimonium habent de canonica auctoritate.

* Quatuor dantur causæ, duæ internæ, materia & forma, & duæ externæ, efficiens & finis. Causa materialis est, ex qua aliquid constituitur, ita ut actum formalem recipiat. Causa formalis est, per quam res materialis est id, quod est. Causa efficiens est a qua res est per veram actionem. Causa finalis est, cujus gratia agit efficiens causa. Agit autem Logica de causâ & effectu non prout aliæ disciplinæ, sed notionaliter, quatenus ea sedem & classem principiorum probabilium continet, ut Dialecticus Syllogismus constituatur, quo ad opinionem & assensum alicujus animus adigatur.

* Per effectum h. l. non intelligitur præcise & stricte causatum causæ efficientis, sed late quodcumque a causis suum esse habet, ut formatum, materiatum, finitum & effectum in specie sic dictum.

* Errat contra hunc Canonem Bellarminus I, 1, de Justif. c. 8, seqq. qui propterea

rifaber prior est poculo a se facto, quandoque tantum natura, sic anima rationalis prior est intellectu, quæ alias tempore sunt simul.

II. Posita causa * ponitur effectus, e. g. si datur Verbum Dei auditum vel lectum & non impeditum, datur fides salvifica apud hominem.

III. Posito effectu ponitur causa. h. e. causam vel esse vel fuisse, e. g. Si datur calceus, datur & futor. Si datur filius, datur & Pater. Dist. tamen inter effectum ordinarium & extraordinarium. Sic N. V. C. Johannes in utero matris credidit. E. vel circumcisis, vel baptizatus est, vel Verbum Dei audivit, quia ille effectus erat extraordinarius.

IV. Sublata causa, * tollitur effectus. e. g. Si moritur Pater, non amplius liberi ab ipso producentur.

V. Qualis causa * talis effectus. Si pictor est bonus, pictura etiam ipsius erit bona.

VI. Quod

fidem negat esse causam Justificationis, quod eadem non sit prior. Confundit enim prioritatem naturæ & temporis, vid. B. Meisn. Phil. S. p. II. Sect. 2, c. 1. Q. 7.

* Limitatur causa (α) ex parte subjecti. Posita causa (sc. efficiente) (1) in actu causandi, h. e. in esse causæ (non in potentia, sic N. V. Deus fuit ab æterno. E. etiam mundus. (2) Sufficiente & adæquata. Sic fœmina sola non potest gignere. (3) Non impedita. Sic caro Christi non semper vivificat, quia impeditur actuali impiorum malitia. (β) Ex parte prædicati. Ponitur effectus, sc. in esse effectus, seu in fieri. Nam in esse absoluto tum demum ponitur effectus, quando absoluta est actio efficientis.

* Si negata causa adæquata, negatur effectus in fieri seu producendus, non vero productus: unde mortuo Patre vel Architecto, non statim perit filius vel domus. De inadæquata causa etiam non valet Canon, e. g. sic N. V. infantes non audiunt Verbum Dei, E. non credunt, quia fides non est e solo auditu Verbi sed etiam e Sacramentis.

* Valet Canon (1) de causa univoca h. e. quæ cum effectu eandem habet essentiam, e. g. Deus habet essentiam infinitam. E. & homo N. V. (2) Valet Canon de attributis essentialibus non accidentalibus, e. g. Pater est tyrannus vel gibbosus. E. & Filius N. V. Pater est homo. E. Filius, bene valet (3) Ratio capacitatis subjecti etiam habetur in quo operatur causa. Hinc non valet, Spiritus S. actio in renatis est perfecta, E. etiam B, O, in illis sunt perfecte bona.

VI. Quod quis per alium facit, per se fecisse putandus est. Hinc qui mala suadet, ut ab alio fiant, is etiam illorum causa est. Qui alterius opera suo nomine scribi jubet literas, is eas ipse scripsisse non immerito putatur. Sic Deus per ministros suos absolvit homines a peccatis.

VII. Quod quis non habet, id alteri communicare nequit. Limitatur hic Canon ita: Quod quis non habet sive formaliter, sive virtualiter, & eminenter, sive immediate, sive consequenter, sive per naturalem convenientiam, id alteri communicare nequit.

VIII. Forma dat esse rei, distingui & operari. Sc. dat esse proprium & specificum. Per animam rationalem enim homo distinguitur a bruto, & rationaliter inter alia etiam operatur.

IX. Sublata materia rei propria, tollitur & res ipsa. Valet regula in materiis propriis & adæquatis, non in communibus aut accidentalibus. e. g. Ubi non est aqua ibi non est Baptismus. De nubiis, tollitur pluvia.

X. Propter quod unumquodque tale est, illud magis est tale. e. g. Luna est lucida propter Solem. E. Sol magis est lucidus. Requiritur autem (1) ut unum attributum utrique insit. (2) Ut formaliter insit. (3) Ut numero sint diversa illa attributa, (4) & unum sit causa alterius, & (5) ut recipiat magis & minus. Hinc non sequitur: Filius propter Patrem est homo. E. Pater magis est homo. Nam homo respectu utriusque magis & minus non recipit.

XI. Qui serio vult finem, velit etiam media ad finem ducentia necessum est. Loquitur Canon (1) de mediis necessariis & per se, non per accidens. Quare non valet,

Deus vult finem peccatorum, punitionem & manifestationem gloriæ suæ ex illa pœna. E. vult etiam ipsa peccata. Nam peccata non sunt media necessaria ad illum finem consequendum. (2) De jure & non de facto. Nam Cato amat pisces, sed non vult tangere flumen. Sic hodie multi studiosi eruditionem intendunt & expetunt, media tamen per quæ illa obtinentur negligunt.

XII. Duo cum faciunt idem non est idem. e. g. Una res est militatum abire, sed cum alius intendat gloriam & alius opes, diversi adsunt fines.

CAP. VI.

DE SUBJECTO ET ADJUNCTO, Item de Toto & Partibus.

- I. LOCUS de Subjecto * & Adjuncto comprehendunt argumenta & principia, quæ ab hisce terminis petuntur.
- II. Locus a Toto * & partibus est sedes argumentorum probabilium, quæ ex natura horum terminorum extruuntur.

CA

-
- * Subjectum est quod aliud in se recipit. Adjunctum autem est quod ab alio recipitur, vel quod alteri, tanquam subjecto, adjungitur, e. g. homo est Subjectum, & fortitudo quæ in ipso datur dicitur Adjunctum. Vinum est subjectum, & sapor, odor, color in vino, dicuntur adjuncta. Datur subjectum Quod & Quo. Et Quo vicissim subdividitur in mediatum & immediatum. Datur etiam subjectum vel adæquatim vel inadæquatim. Adjunctum est vel proprium, vel commune sive accidens. De his pluribus loquuntur Metaphysici.
- * Totum est, quod ex partibus inter se unitis constituitur. Pars est, quod totum constituit. Totum est vel essentialiale, vel integrale. Prius est quod constat ex partibus essentialibus. Posterius est quod componitur ex partibus integranibus. Totum est vel homogeneous cuius partes cum toto eandem habent naturam & appellationem, e. g. oculus hominis non est ipse homo.

- I. Posito Subjecto, ponitur etiam ejus Adjunctum.
e. g. Petrus est homo, E. etiam mortalis est, vel disciplinae capax. Agit Canon autem de adjuncto necessario & non de contingente, de subjecto in statu suo naturali relicto, & non de subjecto in statum supranaturalem elevato. *
- II. Posito Adjuncto proprio, ponitur ejus Subjectum.
e. g. Christus est omniscius, omnipotens, &c. E. est Deus. De adjuncto alias communi, quod pluribus subjectis specie diversis æqualiter competit, Canon non valet.
- III. Totum est majus * qualibet sua parte. e. g. Pœnitentia plus dicit quam contritio, homo plus in se continet quam illius pedes vel manus. Agit autem Canon de partibus seorsim, non conjunctim sumtis.
- IV. Ubi totum * est, ibi necessario omnes partes sunt.
e. g. Ubi totus Christus est, ibi utraque ipsius natura etiam erit.
- V. Sublata parte tollitur totum. Valet de parte essentiali & integrali principali, quæ absolute necessaria est ad esse totius. Quando autem partes minus principales tolluntur, non statim destruitur ipsum totum, etsi non amplius

* Ubi datur ignis ibi datur combustio, ubi datur ferrum ibi datur gravitas. Sed contrarium tamen habetur. 2. Reg. 6, 6. Dan. 3, 24. sqq. E. Subjecta ibi in statum supranaturalem erant elevata.

* Hoc principium videtur repugnare miraculis de 5. & 7. panibus, quia plus remansit quam ab initio adfuit. Sed fragmenta relicta non fuerunt simpliciter partes istorum panum, sed panum jam benedictorum. Quævis ergo pars cum suo toto, & non cum alio conferatur, & regula semper vera erit.

* Valet Canon de toto essentiali & integrali, & quidem de partibus integrantibus principalibus non minus principalibus. Sic etiam de toto singulari valet si personali, quale est Christus Θεὸς ὑψίστος, quem Theologi nostri personam σὺνθετον vocant.

plius tale totum manet, quale antea erat, sed fit mutilum & mancum. Sic non tollitur homo abscisso naso, vel manu aut pede. Bene autem tollitur homo, si anima separatur à corpore, vel si tollitur caput &c.

CAP. VII.

DE ANTECEDENTE ET CONSEQUENTE, Nec non de COMPARATIS.

- I. LOCUS ab Antecedente * & Consequente est qui exhibet argumenta & principia, quæ ab Antecedente & Consequente desumuntur.
- II. Locus Comparatorum * est qui ostendit argumenta & principia a Comparatis petita.

CANONES.

- I. Posito antecedente, ponitur consequens & contra. e.g. Posita incredulitate finali, ponitur damnatio æterna. Valet Canon de antecedente & consequente necessario & non accidentario.
- II. Positis circumstantiis, probabile est rem ipsam poni, quam circumstant, e.g. Sæpe est in locis suspectis, E. ipse habetur suspectus: Similis enim simili gaudet. Circumstantiæ sunt:

Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.

III. Si-

* Antecedens & Consequens vel est necessarium, quod necessario aliud antecedit vel consequitur, vel contingens & per accidens aliud antecedit vel consequitur. Sic iudicium extremum necessario sequitur resurrectionem mortuorum, Et contingenter sequitur malam adolescentiam bona senectus.

* Comparatio alia est ex quantitate, eaque vel continua, ut æquale & inæquale, vel

III. Simile etiam est dissimile, sc. extra tertium, in quo similitudo consistit. Nulla enim similitudo tam exquisita est, ut nulla dissimilitudo cum ea stare possit, sub alio respectu & modo.

IV. Quod de uno parium affirmatur vel negatur, id probabile est, etiam de altero affirmari vel negari. Paria enim paribus conveniunt e. g. Davidi esurienti in casu necessitatis licuit vesci panibus propositionis. E. etiam Discipulis Christi in Sabbatho vellere spicas Matth. 12,4. Pater est venerandus & timendus E. etiam mater.

CAP. VII.

DE TESTIMONIO.

I. LOCUS a testimonio est classis argumentorum, quæ ab auctoritate sumuntur.

II. Testimonium vel est reale, quod res aliqua perhibet. e. g. Bona opera testantur de fide, fumus testatur de igne. Vel personale, quod persona quædam profert. e. g. ita testatur Cicero Lib. 1. de Legibus quod detur notitia Dei naturalis apud omnes, dum inquit: Nulla gens est neque tam immansueta, neque tam fera, quæ non, etiamsi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum putet *

CANO-

discreta, ut par & impar: alia ex qualitate, ut simile & dissimile. Nos omnia ista sub uno loco consideramus uti Saurius, quem vid. p. 518 199.

* Distinguiamus inter testimonium reale & personale, Prius est vel rei naturalis, ut est testimonium sensuum, ad quos Christus provocat Luc. 24, 39. probaturus Discipulis suis, se non esse spectrum, & testimonium experientiæ. Vel rei civilis, quo referuntur pignora, arrha, lapides memorabiles, Epitaphia. &c. Vel rei supernaturalis, sic B. O. testantur de fide. Posterius subdividitur in divinum à Deo suppeditatum, angelicum, ab angelis bonis vel malis datum, & humanum, ab ho-

- I. A Testimonio divino recte intellecto & allegato in Articulis Fidei V. C. tam affirmative, quam negative. e g. Quia Sacra Scriptura testatur, quod tres sint testes cœlestes, Pater, &c. & qui unum sunt, recte colligimus quod detur SS. Trinitas.
- II. Testimonium adversarii ad ipsum convincendum multum valet. Hinc contra Judæos ex Talmude κατ'ἀνθρώπων disputamus. *
- III. Auctoritati humanæ credendum est, quatenus eadem nititur firmis rationibus. Non enim valet hic illud αὐτὸς ἔφα: quia amicus quidem Socrates, Plato & Aristoteles, sed magis amica veritas. *
- IV. Artifici in sua arte credendum est. Nam si quis artis alicujus exquisitè gnarus, de ea serio, sobrie, & attente testatur non ex præconceptis opinionibus aut affectibus, sed ex amore veritatis, ei utique fides adhibenda est.

PAR-

minibus exhibitum. Humanum deinde subdividitur in universale ut Ecclesiasticum & Politicum testimonium est, vel particulare, quod ab uno vel altero homine habetur. Alias testimonium adhuc varie distinguitur sc. in intransitivum, quod quis de se ipso perhibet, & transitivum, quod alterius gratiâ fit. In originale, quale est authenticum & transumptum quod non ex Protocollis sed copiis (uti vocantur) depromitur; In antiquum & novum, auritum & oculatum, Publicum & privatum.

* Sic quoque contra gentiles ex Sybillarum versibus & oraculorum responsis ducimus testimonia. Et contra Pontificios ex illorum Doctorum Scriptis disputamus.

* In omni enim humano testimonio attendendum est diligenter, non quis, sed quid dicat, quousque aliquis aliquid negat aut affirmat, quibus rationibus utatur.

PARTIS
SPECIALIS LOGICÆ
LIB. III.
DE MATERIA SOPHISTICA,
Et inde deducto
SYLLOGISMO SOPHISTICO,
SIVE FALLACIA,

CAP. I.

DE FALLACIA IN GENERE, ET
IN SPECIE DE FALLACIA
DICTIONIS.

- I. SYLLOGISMUS SOPHISTICUS * est , qui speciem quidem veri habet, sed occultum aliquod vitium fovet.
- II. Fallaciæ sunt vel in Dictionibus , vel extra eas.
- III. Fallacia dictionis est, quæ residet in aliqua voce vel phrasi, ob quam quatuor termini in Syllogismo oriuntur.

C

IV. Fal-

* Fallacia varia sortitur nomina, (1) ab Aristotele dicitur Syllogismus contentiosus, (2) apparens, (3) cavillatorius, (4) Elenchus, sophisticus. vid. Saur, in Synt.

IV. Fallaciæ Dictionis sunt sex. (1) Fall. æquivocationis. (2) Amphiboliæ. (3) Compositionis. (4) Divisionis. (5) Accentus. Et tandem (6) Figura Dictionis.

V. Fallacia æquivocationis est, quæ ambiguitate vocis infidias alicui fruit. e.g. Quic. credunt illi salvantur. Diaboli credunt. E. Diaboli salvantur. Hinc in Maj. vox credere aliter sumitur quam in Min. aliud est credere falvifice, & aliud historice. *

VI. Fallacia amphiboliæ est, cum in tota sententia ambiguitas inhæret. e.g. Soli Deo gloria, ita quidam Perfa dixit Christianismum simulans, qui Solem non autem verum Deum in sermone suo intellexit *

VII. Fal-

Log. p. 530. sq. Dicitur Syllogismus σοφιστικός cavillatorius, quia ad cavillationes usurpatur a Sophistis. Hodie autem Sophista non notat vere sapientem, ut olim, sed apparenter talem, qui alios apparente sua sapientia decipere tentat ostentationis gratia. Ad Sophisma autem non præcise requiritur, ut peccet in forma, sed perinde est, an vitium hæreat in forma, an in materia.

* Quo pertinet hoc Anabaptistarum argumentum: In quo cætu omnes sunt Sacerdotes, in eo nullus peculiari vocatione ad officium docendi debet esse Sacerdos. Ecclesia N. T. est cætus in quo omnes Sacerdotes sunt. 1. Petr. 2. 9. E. Ecclesia N. T. est in qua nullus peculiari vocatione debet esse Sacerdos. Hic in Maj. terminus Sacerdos sumitur strictè pro constituto in Ecclesiastico munere, cujus est publice Verbum prædicare & Sacramenta administrare. In Min. vero laxè, pro spirituali Sacerdote, a quo spirituales hostiæ, preces offeruntur Deo. Rom. 15, 16.

* Hic etiam refertur oraculi responsum, quod Diabolus ceu vaserrimus Archisophista Pyrrho Regi Epirotarum dedit: Ajo Te Æacida Romanos vincere posse. Item illud: Cræsus Halyn penetrans, magnam pervertit opum vim, h. e. vel sua vel hostium regna perdet. Male etiam ex hac phrasi non bene intellecta argumentum formatur hoc: Qui diligit Christum ejus Sermonem (Evang.) servat, Joh. 14. 23. Sed nemo in hac vita potest sermonem Christi (Legem) servare, E. nemo in hac vita diligit Christum,

VII. Fallacia compositionis est, cum dividenda male componuntur. e. g. Cuicumque dicitur a Christo: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Is jure optimo columna & fundamentum Ecclesiæ dici potest. Atque Christus ait, Matth 16, 18. Tu es Petrus & c. E. Petrus est Ecclesiæ fundamentum. E. per cons. Successores Petri, Pontifices Romani sc. sunt columnæ veræ Ecclesiæ, quæ est Rom. Sic concludunt Pontificii, sed male Petrum & Petram conjungunt, non super Petrum, sed super petram, h. e. Confessionem a Petro factam vult ædificare Christus Ecclesiam suam. *

VIII. Fallacia divisionis est, quando ea subdole dividuntur, quæ sunt conjungenda. e. g.

Quic. gaudent super uno peccatore, illi videntur delectari peccato.

Angeli gaudent super uno peccatore pœnitente, Luc. 15, 10.

E. Angeli videntur delectari peccato.

! Male hic divellitur τὸ pœnitens a peccatore. Angeli enim non simpliciter gaudent super peccatore, sed super peccatore pœnitente.

IX. Fallacia accentus vel Prosodiæ est, quando ea in Syllogismo permutantur, quæ diversam habent quantitatem Syllabarum, & diversam Scriptionem ratione vocalium & consonantium. e. g.

C 2

Qui

* Ad hanc fallaciam pertinet etiam hicce Syllogismus:

Hic canis est Pater
Hic canis est tuus
E, hic canis est Pater tuus.

Qui lepores venatur, faltus & nemora lustrat,
Orator lepores venatur.

E. Orator faltus & nemora lustrat.

Hic aliud est lepores, quando mediam Syllabam habet brevem, die *Hafen*, & quando media Syllaba habet longam, die *zierliche Redens-Arten*. *

X. Figura Dictionis est, quando ex similitudine vocabulorum & ex ratione loquendi non bene intellecta oriuntur Sophismata. e. g. Anne decem mundi facti sunt? Christus vocem mundi adjective sumit, male autem quis facit, si hanc vocem mundi subst. sumit in locutione Christi. *

CANO-

-
- * Oritur illa fallacia (1) ex verborum detruncatione, quando unum vel alterum omittitur, quod omittendum non erat, uti olim hæretici fecerunt ad locum. Rom. 8, 3. qui negarunt Christum veram humanam carnem assumisse. Paulus ibi non dicit Deum misisse Filium *ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς*, sed *σαρκὸς ἀμαρτίας*.
(2) Ex commatis traiectione, ut fit in hoc versu: Porta patens esto, nulli claudatur honesto. Si comma ponitur post esto, sensus bonus est, si autem post nulli, malus est.

Ad hanc fallaciam pertinet etiam hoc Sophisma:

Qui operam dat ARÆ, est Sacerdos
Subulcus operam dat HARÆ.
E. Subulcus est Sacerdos.

Referunt Logici ad figuram dictionis hunc Syllogismum:

Quodcunque heri emisti, hodie comedisti,
Carnem crudam hodie emisti,
E. carnem crudam hodie comedisti.

Loquitur Major de substantia; Minor autem de qualitate, & sic termini male permutantur.

- * Ad fallaciam accidentis etiam hic Syllogismus referri potest; ex quo oriuntur hæreses, illud interdicendum est. Ex lectione Scripturæ oriuntur hæreses. E.

CANONES.

- I. Ubi idem est vocabulum, ibi non statim eadem est significatio, e. g. Cum dico: λόγος est vox evanesceus. Filius Dei est λόγος. E. Filius Dei est vox evanesceus.
- II. Quæ separatim sunt vera, ea non statim vera sunt conjunctim & contra: E. non valet:
Duo & tria sunt paria & imparia.
Quinque sunt duo & tria,
E. quinque sunt paria & imparia.

CAP. II.

DE FALLACIIS EXTRA DICTI- ONEM.

- I. FALLACIÆ extra Dictionem sunt, quæ in rebus occurrere solent, quatenus illæ male inter se coherant.
- II. Fallaciæ extra Dictionem sunt septem, (1) Fallacia accidentis. (2) A dicto secundum quid ad dictum simpliciter, &c.
- III. Fallacia accidentis est, cum minor propositio per accidens, major autem per se est vera. e. g.

C 3

Quicq.

ejus lectio interdicenda est. Major agit de eo, ex quo per se oriuntur hæreses. Et Minor dicit quod ex lectione Scripturæ oriuntur hæreses, id autem quod tantum fit per accidens.

Quicq. iram operatur, id malum est. Lex iram operatur. Rom. 4, 15. E. Lex mala est. Major loquitur de eo, quod per se iram operatur. Minor autem de Lege agit, quæ non per se, sed per accidens operatur iram. *

IV. Fallacia à dicto secundum quid addictum simpliciter * est, cum ab eo, quod saltem secundum quid verum est, concluditur simpliciter. e. g. Matth. 6, 34, Christus vetat, ne simus solliciti in crastinum diem, E. nulla omnino sollicitudo est necessaria. Dist. inter sollicitudinem laboris s. diligentia, & sollicitudinem metus sive diffidentia. Non omnis etiam illa sed hæc saltem sollicitudo & cura interdicitur. Conf. 1. Cor. IX. v. 9.

V. Ignoratio Elenchi * est, quando status controversia non recte observatur, adeoque mens adversarii non bene intelligitur, nec ei directe contradicitur. e. g. Quando nos dicimus, sacram Scripturam in iis claram & perspicuam esse, quæ necessaria sunt ad salutem: Et Becanus in Manual. l. 1. c. 1. q. 4. p. 8. inquit, sæpe Scripturam esse obscuram, committit ignorantiam

* Huc pertinet ille Syllogismus: Qui est minor Patre, non est verus Deus. Filius est minor Patre. E. Filius non est verus Deus. R. Licet Filius minor Patre dicatur, tamen hoc non fit simpliciter, sed secundum quid h. e. respectu humane naturæ.

* Fallaciam ignorantia elenchi toties committitur, quoties conditiones ad veram oppositionem adeoque etiam contradictionem necessariæ, in doctrina de opposita memoratæ, negliguntur. Cum unus agit de cepis, & alter responderet de alliis. Et hæc fallacia sæpissime a Doctis committitur. Quo pertinet controversia illa nuper inter nonnullos agitata de vita æterna l. beatitudine. Num homo in hac vita jam beatus dici possit, unus negavit, ac alter affirmavit, & utrique veritatem defenderunt. Unus locutus est de beatitudine inchoativa, & alter de beatitudine consummativa.

nem elenchi, nemo enim nostratium negavit saepe Scripturam esse obscuram, modo non iniis, quæ necessaria sunt ad salutem.

- VI. Petitio principii est, cum idem per idem, incertum per æque incertum probatur. e. g. Terra movetur, quia circumagitur. Pythagorica vera sunt, quia *αὐτὸς ἔφα*. Papa infallibilis est, quia non errat.
- VII. Fallacia consequentis est, quando ex antecedente vitiose inferitur consequens. e. g. Fides iustificat, ergo non sunt facienda B. O. Fur noctu oberrat, nec non adulter, E. qui noctu oberrat, fur vel adulter est.
- VIII. Fallacia * secundum non causam ut causam est, in qua causa apparens & per accidens confunditur cum vera causa. e. g. Petrus insomnes ducit noctes; E. est nimis nummatus. Deus permittit ut homo peccet. E Deus est peccati causa.
- IX. Fallacia plurium interrogationum * est, cum plures diversæ quæstiones in una complicantur, ad quam non potest categorice responderi. e. g. Estne Christus & Maria adoranda? Hæc quæstio neque simpliciter affirmanda neque neganda est, sed primo separandum est subjectum, & deinde ad prius pertinet affirmatio, & ad posterius negatio.

CANO-

* Quo pertinet hoc exemplum: Deus prævidit Adamum lapsum. E. necessario lapsus est. Ubi tamen Dei prævisio non est causa lapsus, sed abusus liberi arbitrii hominis ac suasio Diaboli.

* Diversæ autem quæstiones miscentur, (1) quoties subjecta plura non subordinata sumuntur, & de illis unum prædicatum enunciatur. e. g. Estne corpus & anima hominis mortalis? (2) Cum de eodem subjecto diversæ prædicata dicuntur, e. g. Estne Christus verus Deus, & iuste a Pilato crucifixus?

CANONES.


- I. Quod alicui convenit secundum quid, id ei non tribuendum est simpliciter & contra. e. g. Christo tribuitur in tempore natum esse, non tamen simpliciter, sed respectu humanæ naturæ. Gal. 4, 4.
- II. Ut idem per idem non probatur, sic neque refutatur. Ejusmodi enim refutatio nihili æstimatur, sed est digna objurgatione. Hinc dicitur *συναμαχία*, disceptatio de lana caprina.

Gloria sit PATRI NATO cum FLAMINE
SANCTO.



Verfertigt
von
L. A. GARBÉ
Rostock
Breite Str. 25.





...i, nemo enim nostratium negavit sæpe Scri-
obscuram, modo non iniis, quæ necessaria
em.

principii est, cum idem per idem, incer-
que incertum probatur. e. g. Terra mo-
circumagitur. Pythagorica vera sunt, quia *av-*
pa infallibilis est, quia non errat.

consequentis est, quando ex antece-
se infertur consequens. e. g. Fides justi-
sunt facienda B. O. Fur noctu oberrat, nec
E. qui noctu oberrat, fur vel adulter est.

* secundum non causam ut causam est,
sa apparens & per accidens confun-
vera causa. e. g. Petrus insomnes ducit no-
nimis nummatus. Deus permittit ut homo
eius est peccati causa.

olurium interrogationum * est, cum
rsæ quæstiones in una complicantur, ad
potest categorice responderi. e. g. Estne
aria adoranda? Hæc quæstio neque simpli-
da neque neganda est, sed primo separan-
ctum, & deinde ad prius pertinet affirmatio,
is negatio.

CANO-

exemplum: Deus prævidit Adamum lapsurum. E. necessario
en Dei prævisio non est causâ lapsus, sed abusus liberi arbi-
Diaboli.

tionibus miscentur, (1) quoties subjecta plura non subordinata
unum prædicatum enunciatur. e. g. Estne corpus & anima
(2) Cum de eodem subjecto diversa prædicata dicuntur, e. g.
Deus, & iuste a Pilato crucifixus?